



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

4. Quomodo causentur passiones appetitu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

esse futura. Hanc puto esse propriam passionem, quæ non sit actus, quia non apparet quod per eam tendimus in obiectum aliquod, unde dicitur communiter delectari de obiecto, qui modus loquendi non denotat tendentiam ullam in obiectum: & quamvis soleat semper fortassis habere secum annexum amorem, tamen id mihi non videtur necessarium: unde si Deus non concurreret cum voluntate aut appetitu ad amorem, tamen adhuc obiectum conveniens posset causare illam delectationem, & fortassis sapissime de facto delectatio præsupponitur amori; præsertim quando obiectum non possideretur per ipsum amorem, quod addo; quia aliquando non possideretur obiectum ad appetitum nisi per ipsum amorem, ut patet in Beatis, qui non alio modo possident Deum per voluntatem, quam quatenus amant ipsum tali amore particulari, nempe beatifico: quando autem possideretur per ipsum amorem, delectatio orta ex possessione debet præsupponere amorem, si tamen sit quid distinctum ab amore tali; de quo quis merito dubitare posset: nec, quod ad me attinet, concurrat vlla ratio magis favens distinctioni eorum, quam si Christus Dominus qua homo de facto, non obstante amore beatifico quem habuit in via de Deo, non habuerit summam illam consolationem & declarationem, quam ex illo amore habuit post mortem. De quo in materia de Incarnatione.

Quid tristitia. 32. Iuxta hoc proportionem servata discurrendum de sexta passione, quæ est tristitia, quam sentimus de malo præsentis ac imminenti.

Quid spes. Septima passio est spes, quam etiam puto non esse passionem, sed actum vitalem, siue spectet ad appetitum, ut communis tenetur, siue ad potestatem cognoscitivam, ut aliqui existimant, quia apparet nos dum speramus tendere in aliquod obiectum; concomitari quidem solet illam aliquis motus placens, qui est passio proprie dicta, quam non puto esse speciem distinctam à motu delectationis, sed accidentaliter tantam, quatenus scilicet in se non est tantæ intensiois, quantæ est delectatio de obiecto possessio, & quatenus sequitur ad spem, quæ est actus tendens in bonum absens; alia vero delectatio sequitur ad possessionem boni.

Desperatio quid? Octava passio est desperatio, quæ est motus ille, quem experimur in nobis, quando iudicamus nos non consecuturos bonum, quod optaremus consequi. Existimo autem quod tum non habeamus alium motum, quam illum displicentem, qui est passio eiusdem rationis cum tristitia, & accidentaliter tantum distincta, sicut dixi de eo motu, qui concomitatur spem; & præterea opinionem, seu cognitionem iudicativam de non consequendo bono.

Quid timor. Nona passio est timor, qui est motus, quem sentimus quando dubitamus de consecutione boni concupiti, & est propria passio, indistincta tamen verisimiliter rationis à motu illo, quem sentiunt desperantes.

Quid audacia. 33. Decima passio vocatur audacia; & est motus ille, quo impelluntur aliqui ad prosecutionem alicuius obiecti, non obstantibus magnis periculis. Hanc existimo non esse passionem, sed actum positivum voluntatis, quo considerat obiectum non obstantibus impedimentis.

Quid excoandescencia & furor. Undecima passio est ira, & est ille motus, quem sentimus, quando proponuntur impedimenta rei, quam facimus aut vellemus facere aut fieri; qui quando est tam vehemens, ut quis excoandescat, vocatur excoandescencia; & quando est talis, ut quis se gerat tanquam si esset priuatus usu rationis, dicitur furor. Hanc credo esse propriam passionem, quia est quædam displicentia de impedimento posito.

Quid pudor. Duodecima passio est pudor, qui est motus ille internus quem sentimus ex consideratione alicuius actionis nobis indignæ, factæ vel faciendæ, vel obiectæ nobis.

Quid indignatio. Decimatercia est indignatio, seu motus, quem percipimus quando fit nobis aliquid modo aliquo indigniori.

Decimaquarta est emulatio, seu motus, quem sentimus ex eo, quod videamus aliquem alium quem superare vellemus, acquirere aliquid bonum, quod ad hoc impediendum posset conducere.

Hæ sunt passionēs, quas communiter explicare solent

authores, & si quæ aliæ sunt facile explicari possunt iuxta dicta de his, aduertendo semper ad experientiam nostram.

QVÆSTIO IV.

Quomodo censentur passionēs in appetitu.

34. Spposito ex quæstione præcedenti quod sint aliquæ qualitates placentes, & displicentes in appetitu & voluntate, quæ non sunt operationes, quibus fertur in obiectum propositum per potentiam cognoscitivam, quæritur iam, à qua causa effectiue producantur illæ qualitates: & quidem quod obiectum concurrat est extra controuersiam, sed dubium est, an sit causa adæquata productiua ita, ut ipsa potentia, quæ patitur illos motus, hoc est, quæ delectatur aut tristatur, non concurrat effectiue ad illos, sed mere passiuè se habeat.

Prima sententia est, passionēs produci partialiter à potentia vitali, in qua subiectantur non minus quam intellectio, & quæcunque alia sensatio. Ita Suarez 1.2. disp. 7. sect. 1.

Secunda sententia tenet eas non produci effectiue à potentia etiam partialiter. Hanc sequuntur Scorsia communiter cum Doctore in 1. d. 1. q. 3. & variis aliis locis, & etiam sequitur Auerſa 1.2. q. 22.

CONCLUSIO I.

35. Siue passionēs producantur effectiue à potentia, siue non, sunt motus vitales, ex quibus potest argui quod qui mouetur per illas sit viuens conceptu vite communi Deo, hominibus & Angelis; nec ex hoc sufficienter colligi potest, quod producantur à potentia effectiue vlla ratione. Hæc hoc modo proposita est nullius, est tamen conformis principiis Doctoris.

Patet prima pars: quia per illas potentia sensibiliter mouetur: sed sic moueri non potest, nisi quod viuat tali vita: ergo.

Confirmatur, quia nemo est qui si cognosceret quod aliquis delectaretur aut tristaretur, non statim ex hoc ipso, quamvis nullam aliam operationem haberet, non iudicaret ipsum viuere.

Confirmatur secundo, quia Deus ipse viuat per hoc quod percipiat & velit sensibiliter obiecta, quamvis non producat suam perceptionem aut volitionem: ergo etiam homo per hoc, quod percipiat aliquid, debet dici viuere, siue producat suam perceptionem, siue non.

Hinc patet secunda pars, quia si potest viuere per hoc quod sic percipiat, absque eo quod producat perceptionem, male colligitur ex eo, quod sic viuat, & quod percipio sit motus vitalis, eam ab ipsa produci, & consequenter etiam fundamentum Suarez pro prima sententia non valere, nempe quod illi motus sint vitales: quod si intellexeret illos motus esse vitales in sensu aliquo, in quo requireretur ad motum vitalem quod produceretur à potentia, quæ mouetur, peteret manifestè principium quia allumeret quod erat probandum.

CONCLUSIO II.

36. Si delectatio & tristitia sit perceptio alicuius qualitatis conuenientis, aut disconuenientis productæ in ipsam potentiam ab obiecto proposita, effectiue se habet ad illam non minus quam potentia visiva ad visionem, si verò non sit talis perceptio, sed qualitas seipsa percepta à potentia, siue eo quod potentia percipiat aliquid aliud per ipsam, probabilius est quod potentia non concurrat ad ipsam effectiue. Hæc etiam est nullius, quod sciam.

Probat per primam partem, quia eadem prorsus est ratio, quod illa perceptio sit producta à potentia, ac qualibet alia, per quam percipitur aliquid obiectum.

Probat per secundam partem: quia nihil impedit quo minus ipsummet obiectum producat illam qualitatem, nec est necessarium recurrere ad concursum potentia.

CONCLUSIO III.

37. Absolutè probabilius est dicere, quod delectatio & tristitia, & similes passionēs non producantur effectiue à potentia partialiter.

XXX 2

Proba


Quid emulatio. Passiones sunt motus vitales.

Ex eo quod sint vitales, non rectè colligitur, quod producantur effectiue à suo subiecto.

An delectatio & tristitia producantur effectiue à subiecto.

Passiones non producantur effectiue à subiecto.

*Probat*ur: quia ut dixi supra *disput.* *precedenti* num. 83. de dolore, probabilius est, quod delectatio & tristitia sint qualitates, quæ seipsis percipiuntur: & hoc supposito nihil cogit ad dicendum quod effectiue producantur à potentia. *Deinde* sic melius saluatur quomodo voluntas non producat in se aliquid vitale, quod non est liberum ipsi; & quemadmodum posset naturaliter necessitari ad actum, quo perciperet qualitatem doloris, non obstante quod concurreret effectiue: ita posset dici quod necessitati posset ad alios actus vitales volitionis, & nolitionis: & præterea delectationes & tristitia non essent passionis, sed operationes: nam illæ actus, quo sentiret voluntas qualitates illius, esset operatio non minus quam intellectio, aut volitio, & sic haberet voluntas actum aliquem elicatum à se, qui non esset volitio, aut nolitio, quod est contra omnes.



DISPUT. V.

De Anima rationali.

UPEREST consideratio Animæ, quatenus rationalis est, & potentiarum ac actuum ipsi, quæ talis est, competentium. Et quidem, quantum ad substantiam ipsius attinet, solum examinandum est, an sit spiritualis, ac immortalis, & quando, ac à quo producat, nam diffinitio ipsius ex dictis de anima ut sic, & animabus vegetatiua, ac sensitiua, facile colligi potest esse, quod sit actus corporis organici potentia vitam rationalem habentis, seu principium quo physicum, ratione cuius competit substantiis corporeis discurre; qualem animam dari omni illa experientia constat, quæ colligere possumus nos discurre.

QVÆSTIO I.

An Anima rationalis sit spiritualis.

1. **V**arij erant antiquorum errores circa naturam animæ rationalis. Ex quibus aliqui putarunt eam esse ignem cum *Zenone*; alij ætrem cum *Anaxagora*; alij sanguinem cum *Empedocle*.

CONCLUSIO I.

Anima rationalis est spiritualis. Hæc est communis omnium Philosophorum, & Theologorum præter paucos antiquos, quorum sententiam paulo ante proposui.

*Probat*ur primo ex Scriptura *Eccles.* ultimo: *Reuertatur pulvis in terram suam, unde erat: & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et *Luca*: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Quibus verbis anima dicitur spiritus: & quamvis in Scriptura spiritus aliquando capiatur pro re corporea, ut *Genesis* 8. *Adduxit spiritum super terram, & nominata sunt aqua*: ubi spiritus capitur pro aëre, ac vento, quibus Deus exsiccauit terram; tamen in locis prædictis spiritum capi, pro ut opponitur corpori, constans est Patrum ac Theologorum sententia, & patet ulterius ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. relato in cap. *firmiter de summa Trinitate*, ubi dicitur natura humana constituta ex spiritu & corpore: & ex cap. *quidam autem hæreticorum*, ubi refertur inter hæreses sententia tenens animam intellectuam non esse spiritum, pro ut spiritus opponitur corpori.

2. *Probat*ur Complutenses ex *S. Thoma* 1. part. qu. 75. art. 2. Omne quod est in potentia ad aliquid caret eo: sed intellectus est in potentia ad intelligibilia omnia recipienda in se per intellectum eorum: ergo caret ex se omnibus illis intelligibilibus; sed sensibilia ac corporalia sunt intelligibilia: ergo caret omni materia ac corporeitate, & consequenter est spiritualis; sed si intellectus sit spiritualis, anima cui convenit connaturaliter, debet esse spiritualis.

Confirmant primo: si visus haberet in se aliquem colo-

rem, ille impediret quo minus videret alios colores: videtur: ergo si intellectus esset materialis, seu haberet in se materialitatem, non posset intelligere alia materialia.

Confirmatur secundo, quia intellectus est pura potentia in ordine intelligibili, quatenus ex se non includit aliquod actum istius ordinis, seu aliquod obiectum intelligibile quod habeat se ratione sui, vel ratione speciei, ut forma, & actus in ordine intelligibili, ut constituens ipsū in actu primo & completo ad intelligendum: ergo non habet aliquam quidditatem materialem, quia obiectum intellectus pro hoc statu est quidditas rei materialis, & consequenter si intellectus ex se non habet obiectum aliquod intelligibile, non debet habere talem quidditatem.

3. *Hæc probatio*, prorsus est insufficiens cum suis probationibus: quia si valeret, sequeretur manifestè quod intellectus non esset spiritualis: intelligit enim spiritualia: ergo si deberet carere omni illo quod potest intelligere, deberet carere spiritualitate, quia spiritualitatem potest intelligere.

Viderunt Complutenses hanc replicam, quæ satis obvia est, & ad eam soluendam præmittunt longum discursum, cuius tota vis consistit in hoc, quod potentia materiales eo ipso, quo materiales, non possint concipere res universales; intellectus vero possit, unde necessarium est quod non sit materialis. Quæ doctrina supposita;

Respondent, negando sequelam replicæ, & rationem disparitatis assignant, quod quidditas spiritualis non tollit indeterminationem & indifferentiam, per quam natura aliqua in esse representatio potest fieri universalis; secus vero est de materiali quidditate.

4. *Sed contra*, quia quamvis forte ex intellectu rei universalis sequeretur quod intellectus sic intelligens esset spiritualis; tamen ex hoc non sequitur quod ex eo quod posset intelligere rem materialem, debeat non esse materialis magis, quam ex eo quod possit intelligere rem spiritualement, debeat esse materialis. Et præterea in disparitate petunt principium, quia asserentes intellectum esse materialem, dicerent vel non intelligi ab ipso rem universalem ut universalis est, vel potentiam materialem posse talem rem intelligere.

Deinde, ut dixi, quamvis potentia deberet carere materialitate, ut intelligeret universale, & ex hoc directe posset probati conclusio; tamen ex hoc non sequitur veram esse hanc propositionem, quod intellectus ut intelligat debeat ex se carere re quam intelligit. Itaque in forma ad prædictam probationem, ut magis clare pateat quod non sufficiat.

Respondet primo, negando minorem: nam non est in potentia ad semetipsum, cum tamen sit intelligibilis à seipso.

Respondet secundo, distinguendo maiorem, quidquid est in potentia ad aliqua recipienda secundum suam entitatem physicam, caret illis secundum illam entitatem: quidquid est in potentia ad aliqua recipienda secundum esse intentionale, caret illis ex se secundum illud esse intentionale, concedo maiorem; quidquid est in potentia ad aliqua recipienda secundum esse intentionale caret illis secundum esse reale, nego maiorem: nam, ut dixi, intellectus est potentia ad seipsum recipiendum secundum esse intentionale, & etiam ad recipiendas qualitates, & species sibi inhærentes, quoad esse intentionale, quia potest & se & illas intelligere, & nihil aliud est esse in potentia ad recipiendum aliquid quoad esse intentionale, quam posse illud intelligere, & tamen intellectus non caret seipso nec illis habitibus aut speciebus quoad esse reale, sed habet necessario se & potest habere illa alia in se realiter subiecta. Iuxta hoc distinguo minorem: quoad esse intentionale, concedo, quoad esse reale, nego, & distinguo similiter consequens: quoad esse reale, nego, quoad intentionale, concedo consequentiam, & concessio subsumpto, nego consequentiam.

5. *Ad primam confirmationem respondet*, negando consequentiam; visui enim ex ratione particulari sua competit quod color in ipso inhærens impediatur ipsum, quo minus possit videre alium colorem, ut colligitur experientia, hæc autem ratio cur erit in aliis potentiis?

Confir